

est, quique per viam naturalem progreditur, per quam homines naturali instinctu ducti procedere solent, quique processui Syllogistico naturaliter nobis insito similis atque conveniens est, quales Syllogismi sunt omnes, de quibus Proto-philosophus agit in tribus figuris, quippe qui semper necessitatem & ductum naturæ in argumentando secutus est, & hi Syllogismi possunt dici suo modo artificiosi, quia per artem ex naturalibus desumpti sunt. Vel per Syllogismum artificiosum intelligitur talis, qui est innaturalis, & ex præmissis contra naturam dispositis procedit, quique non secundum viam naturalem, per quam magna pars hominum progredi solet, sed secundum artificium & machinationem alicujus hominis concludit. Hoc significatu Averroes Syllogismos quartæ Figuræ vocat artificiosos.

§. XXXVII. *Didacus Masius l. c. p. 219.* aliam & non contemnendam rationem adfert, quod Syllogismi quartæ figuræ naturaliter non concludant, verba ejus integra huc apponere non pigrabimur. *In omni inquit, rectâ argumentatione, quod est consequens superioris, non potest esse antecedens inferioris, nam cum inferius sub superiori contineatur, eadem erunt utriusque consequentia, ut in hac argumentatione. O. arbor vivit. Pyrus est arbor. E. O. pyrus vivit; pyrus enim sub arbore, quæ est superior continetur, atque ita cum vivere consequatur arborem, consequatur etiam pyrum, sed si daretur hac quartæ Figura, quod est consequens superioris, antecederet inferius. Ergo inanis erit hujusmodi figura.*

§. XXXVIII. Denique Syllogismos quartæ figuræ esse quoque inutiles & supervacaneos probatur inde, quia potentias naturales debilitatas non solent juvare, excitare atque perficere; verum quicquid facultatem argumentandi naturalem non juvat, non excitat, non perficit, illud
E frustra-